14 avril 1866

36. Piece.

CENSURA
Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis
lata in Theſim propugnatam Pariſiis 14. Aprilis 1666. apud Clericos Regulares Theatinos.

In rebus Theologicis pertractandis ſummam religionem adhiberi oportere, abijsque abſtinendum quæ quæſtiones magis quam ædificationem præſtant, ac denique animum certas intra metas cohibendum esse ne plus æquo efferatur, Apostolus præcipit ad Romanos ſcribens; Dico enim per gratiam quæ data est mihi omnibus qui ſunt inter vos non plus ſapere quam oportet ſapere ſed ſapere ad ſobrietatem: itemque ad Timoth. Stultas autem et ſine disciplina quæstiones devita, ſciens quia generant lites. Quibus ex ſententiis, alijsque quam plurimis quas Scripturarum promulgat authoritas, Sacra Theologiæ Facultas Pariſienſis ſemper intellexit antiquis terminis ſtudiose inhærendum; et ſi quid in Doctrina novitatis emerſerit, ſtatim occurrendum esse, eamque pro viribus

maturè comprimendam. neque enim vllum fore modum vana comminiscendi si licentia semel detur ingenijs, cum nouum subinde noua pariat, vt aît B. Joannes Chrysostomus atque adeo periculum sit, quod etiam S. Greg. Theologus grauissimè animaduertit, ne quæstionibus nugisque obtundamur, ac magnum fidei nostræ mysterium sutilis cuiusdam ac ludicræ artis instar esse videatur.

Cum ergo prima Die Maij quidam è S.S. M.M. N.N. conquesti essent de Thesi Theologica, Die 14. Aprilis ann. 1666. publicè propugnata à quodam Theatino Clerico Regulari, qui leuibus quæstiunculis argutijsque delectatus, noua etiam permulata et inaudita protulerit, cùmque de ante dicta Thesi HON. M. N. Anthonius de Breda eiusdem facultatis Doctor et Syndicus quæstionem haberi petijsset, eandem Sacra Facultas memoratam Thesim selectis Doctoribus examinandam demandauit; qui cum eâ de re aliquot inter se congregationes inijssent, ex prædictâ Thesi has propositiones excerpserunt quarum tenor sequitur.

propositiones

Verum antequam Facultas de his propositionib⁹ suam sententiam promeret, Deputati monuerunt prædictum Theatinum velle declarare suæ Theseos doctrinam, cuius explicationem in proximis Comitiis generalibus proponendam S.ª Facultas censuit accipi oportere.

Tandem secunda Die Augusti in congregaõne generali in aula maiori Collegii Sorbonæ habita, post missam de S.tu Sancto solemni ritu factam, præfati Deputati de propositionibus, ut præfertur, excerptis ad facultatem retulerunt, ac declaraõnem à dicto Theatino manu propria subscriptam, in medium protulerunt.

Quibus auditis atque perlecta prædicta declaraõne, rè-que in deliberationem adducta, ac momentis omnib⁹ attentè perpensis, eadem Sacra Facultas censuit dictas propositiones esse, ut verba sonant, respectivè falsas, temerarias, scandalosas, novas atque inauditas, et in errorem inducentes; ipsámque declarationem (quamquam ex ea satis innotuit, memoratas Theses nequaquam animo hæretico aut perverso consilio ab authore fuisse defensas) vel eo solo nomine probari non posse, quod tota ferè nititur vanis maleque excogitatis, atq. omnino fictitiis hypotesibus. Quæ cum omnia satis

aperta sint, eadem facultas supervacaneum judicavit, de propositionibus antedictis singillatim ferre sententiam. Pro sua tamen parte, próque sui muneris atque officij ratione Theologos monet, suisque præcipit ut mandati Apostoli memores, devitent quæstiones, quæ sunt inutiles et vanæ ac profanas verum vocumque novitates; neve in variis argutijs excogitandis atque propugnandis sibi placeant, aut earum ambagibus Theologiam involvant, eiusque dignitatem novis ac periculosis subtilitatibus dehonestent; imò verò assiduè cogitent quam sit grave Theologi munus, seque ad utilia et recta conferant, ac sanam Doctrinam ex ipsis fontibus, id est sacris conciliis atque Scripturis, èque sanctis Patribus ac probatissimis quibusque Doctoribus studiosè discant ac sincerè tradant. Actum in Comitiis generalibus Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis die secunda Mensis Augusti anno Domini 1666. et confirmatum 1. Septembris sequentis.

De mandato DD. Decani et Magistrorum præfatæ facultatis S. Theologiæ Universitatis Parisiensis. P. H. BOVVOT.

Case Wing folio oZ 144 .A1 v.2 no.21

THE NEWBERRY LIBRARY